

P^{is} G. Marest iter et missio in sinum Hudsonium
in ora septentrionali Canadæ an. 1694.
Epistola ad R. P. Thyrum Gonzales,
Præpositum Generalem So-
cietatis Jesu, Romæ.

QUEBEC, oct. 1695.

CUM Quebeco solvimus, erant naves omnino
duæ, trecenti nautæ, tum milites, quæ omnia
ad expugnandam arcem, quam Hudsonio in
sinu tenebant angli. Profecti igitur decimā die
augusti an. 1694, vigesimā quartā septembbris huc
appulimus. Res quidem voti, ipso enim sub itineris
fine, ventis adversis usi, imminente frigidissimā
hyeme, necnon deficiente aquā, S. Annam, quæ piè
imprimis à Canadensibus colitur patronam apud
Deum adhibuimus, voto nos ipsi obstrinximus, triduo
post ad terram applicuimus.

Toto hoc navigationis tempore, sacrum facere, cum
licebat, pias hortationes identidem habere, preces
recitare, palam, manè et sero quotidie, nunc his,
nunc illis, multis sanè peccata deponentibus operam
dare, mea fuere munia.

Jam vero Hudsonium in sinum devolvunt sese
fluvii duo, haud longè à se invicem, alter Borbonius,
alter s^{tae} Theresiæ, dictus: ad hunc sita anglorum